

F W B

A N N O

1 6 6 0

Handwritten text on the spine edge, partially obscured.

174887



10/11

W. Nr. 3. 95.


Crocina


mit Mandeln (Käse)


von 2-20/11-23) hier Weiblich.


aus Landgrafen Buch für Herrsch. Buch
3. Cass. Kinder Buch.


L. IV. 44.

















Joh. M. Gebhardi
1703.



4
CHRISTIANA & SINCERA RESPONSIO,

Ad

Illustrissimi Celsissimiq; Principis ac Domini,

DOMINI ERNESTI,

Hassia Landgravii, Principis Hersfeldia, Co-
mitis Catmeliboci, Decii, Ziegenhainæ, Niddæ
& Schaumburgi &c.

Literas,

*Ad theologos Francofurtum ad colloquium de
religione evocatos,*

Iteratas,

Consignata & in lucem edita,

A

JOHANNE CROCIO.

*Trium hinc Dominorum Capucinatorum, ad quatuor de religione quaestiones,
à Celsissimo Principe, Ernesto Landgravio propositas, responsa, quae
sub eorum nomine & actionis prima titulo in lucem prodierunt, tanguntur
breviter, ac quantum res postulare videbatur.*

Excudebat SALOMON Schadevitz 1651.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and mostly illegible due to fading and the texture of the paper. Some words are faintly visible, such as "CITIZENS" and "MAYOR".





Illustrissime, Celsissimeq; Princeps, Domine clementissime, His diebus sub illustrissimo tuo nomine in urbem venerunt literæ, ad theologos ad congressum Francofurtensem vocatas iteratæ, eæque Nicolai Heylii typis descriptæ Moguntia. Sic præscriptus habet titulus. Ego exemplum accepi, tuâ, ni fallor, manu subsignatum, sed hac tituli præscriptione mutilum. Legi, expendi. Audio, scrupulos in reformatæ religionis dogmatibus, dum hic annus agitur, ab te conceptos: Audio remedia illis tollendis partim adhibita, partim quæsitæ. Audio, eventum non respondisse expectationi. Denique audio, quâ lege in rationem agendi à clarissimo D. Calixto propositam consentias. Gregorius Nazianzenus ad virum in Imperatoris aula principem, libertatis loquendi concessæ fiducia fretus scribebat de synodo. Eandem de colloquio scripturus à tua peto Celsitudine, ad quam tribuendam magnæ animæ ferè sunt proclives. Quo magis perspecta mihi est animi tui magnitudo, eò majori petitionis velut jâ impetratæ fiduciâ plenus, scriptioni me accingo, ad literas tuæ celsitudinis iteratas, responsurus humiliter & in Dei causa sincerè atque citra metum.

In tempus conceptorum fotorumq; scrupulorum non inquirò anxie: nec in occasionem. Qualis, qualis ea sit, fueritve, singularem Dei providentiam non immeritò adoramus religiosè, quæ non tantum jucundis in dispensandis beneficiis, sed & in justis exercendis judiciis se miris ac interdum nimis tristibus exserit speciminibus.

Inter alia, tria præcipuè dubia tibi suborta esse, scribis. Ordinem ducit, quòd *quisq; è sacro textu de doctrina fidei censere possit, tametsi ea sub anathemate proponatur à concilio verè generali, quod scrutinium expertus sis impossibile.* Miror, hoc te tam excellentis ingenii, tam acris judicii, tam variæ lectionis principem anxisse. Si tamen anxit. Ut constet planius, meritione, an immeritò, scire oportet, num *quisque hinc sit cujusvis ordinis &*

A

condi-

conditionis Christianus, an, quod tuus ille Viennâ accitus cōsultor, singu-
 lari & vocis modulatione & corporis motu, creberrimè ingeminare a-
 mat, *quilibet & qualibet*? Sermōne sit de textu sacro immediatè, an me-
 diatè cognito; de doctrina fidei omni, an tantum aliqua, & quidem ab u-
 no, aut pluribus doctoribus divisis, vel in concilio congregatis, eo que sive
 particulari, sive verè generali, approbato confirmatoque, vel non appro-
 bato confirmatoque à Romano Pontifice, idque sive in decreti, sive in
 quacunque alia forma proposita. Scire oportet, sitne sermo de censura,
 seu iudicio auctoritatis tantum, an etiam discretionis, eo que solum ante-
 cedente, an etiam subsequente, fallibili ne, an infallibili. Denique quam
 impossibilitatem, factine, an juris, an utramque intelligas, & expertus sis in
 teipso, an in quibuslibet aliis, an in te & aliis. Hæc ubi disertius fuerint de-
 clarata, patebit, num ex Ecclesiæ reformatæ doctrina, subortum sit hoc
 dubium; Expediior quoque erit discutiendi ratio.

Interim obversatur animo, quòd discretionis de fidei doctrina judi-
 cium nec scriptura sacra, nec universalis Ecclesia per conciliarem senten-
 tiam, nec Patrum orthodoxorum chorus per catholicum consensum cer-
 to adstrinxerit hominū ordini. Obversatur animo, quod cuiusvis ordinis
 & conditionis fidelibus pro *vocationis & domi* mensura dictum intelligo:

Matth. 7, 15.
 1. Theff. 5, 21
 1. Johan 4, 1.
 Lib. 7. Strom.
 p. 757.

Cavete vobis à pseudo-Prophetis: Omnia explorate: quod bonum fuerit, retinete: Dilecti, ne cuiusvis spiritui credite: sed probate spiritus, an sint ex Deo. Animo obversantur gravia Patrum Græcorum & Latinorum mo-
 nita. E Græcis Clemens Alexandrinus sic scribit; *ὅτι γὰρ ἀπλῶς ἀπο-
 φαινόμενοις ἀνθρώποις προσέχοιμεν, ὅτις καὶ ἀνταποφαίνεσθαι ἐπ' ἴσης
 ἐξέστιν· εἰ δ' ἔκ ἀρκεί μόνον ἀπλῶς εἰπεῖν τὸ δόξαν, ἀλλὰ πιστώσασθαι
 δεῖ τὸ λεχθὲν, ἕτην ἐξ ἀνθρώπων ἀναμένομεν μαρτυρίαν, ἀλλὰ τῇ Ἐκυ-
 ρίου Φωνῇ πιστέμεθα τὸ ζητούμενον· ἢ πασῶν ἀποδείξεων ἐχεγγυωτέρω,
 μᾶλλον δὲ ἢ μόνῃ ἀπόδειξις ἕσα τυγχάνει: καθ' ἣν ἐπισήμην οἱ μὲν ἀπο-
 γευσάμενοι μόνον τῶν γραφῶν πιστοί. i. e. Non enim simpliciter enun-
 ciantibus hominibus fidem habeamus, adversus quos & nobis enunciare
 (asserere) ex aequo licet. Si autem non sufficit simpliciter dicere, quod vide-
 tur, sed oportet, etiā probare, quod dictum est, non exspectamus testimonium,
 quod datur ab hominibus, sed voce Domini probamus, quod quaritur; quæ
 est magis fide digna quàm quavis demonstratio; vel potius quæ est sola de-
 monstratio, per quam scientiam, qui solas gustavere scripturas, sunt fideles.
 Per vocem, seu verbum Dei Clementem scripturam sacram hîc intellige-
 re, cum ex præcedentibus, tum ex consequentibus admodum est perspi-
 cum.*

Cyri-



5.
Cyrillus Hierosolymitanus in quarta Illuminatorum catechesi;
ταύτην ἔχε σφραγίδα ἐν τῇ διανοίᾳ σου πάντοτε. ἥτις νῦν μὲν κατὰ ἀνα-
κεφαλαίωσιν ἀκριθιγῶς εἰρηται, εἴτε παράσχοι ὁ Κύριος, μετὰ τῆς τῶν
γραφῶν ἀποδείξεως κατὰ δύναμιν ῥηθήσεται. δεῖ γὰρ περὶ τῶν θείων καὶ
ἀγίων τῆς πίσεως μυσηρίων μηδὲ πὸ τυχὸν ἀνευ τῶν θείων παραδίδοσθαι
γραφῶν. Μηδὲ ἀπλῶς πιθανόησι καὶ λόγων κατασκευαῖς παραφέρεσθαι.
Μηδὲ ἐμοὶ τῶ ταυτὶ λέγοντι ἀπλῶς πισεύσης, ἐπὶ τὴν ἀπύδειξιν τῶν κα-
ταγγελλομένων ἀπὸ τῶν θείων μὴ λάβης γραφῶν, ἡ σωτηρία γὰρ αὐτῆ
τῆς πίσεως ἡμῶν καὶ ἐξ ἐυρεσεολογίας, ἀλλ' ἐξ ἀποδείξεως τῶν θείων ἐστὶ
γραφῶν. i. e. *Hoc semper in mente signaculum (fidem Trinitatis) retineto,*
quod tibi iam nunc per summa capita leviter propositum est; deinceps au-
tem, si Dominus concesserit, exponetur pro viribus, cum demonstratione ex
scriptura. Oportet enim ne minimum quidem aliquid tradere de sanctis et
divinis fidei mysteriis, absq; divinis scripturis: neque moveri probabilibus
sermonum compositionibus. Ac ne mihi quidem hac dicenti fidem adhibito,
nisi accepta eorum, quae ponuntur, demonstratione e sacris petita scripturis.
Hec est enim ratio conservanda nostrae fidei, quae ducitur non ex inge-
nioso acumine, sed ex demonstratione divinarum scripturarum.

ELatinis Ambrosius lib. de paradiso c. 12. sic scribit; *Sunt multa, quae*
noceant, si ante voluerimus haurire, quam quae sint illa, cognoscere. Nam et de
cibus et potu plerumq; usu venit. Quippe si id, quod amarum est, ante cogno-
scas, indues patientiam; et si intelligas ea, quae sunt amara, prodesse, et in-
dues tolerantiam, ne offendant amaritudo te repentina, et incipias rejicere
profutura. Prodest ergo ante cognoscere, ut ex eo, quod cognoveris profutu-
rum, nec amara fastidias. Sed hac minus nocere possunt: Illud, quod magis,
nisi provideatur, nocere posset, advertite. Gentilis quidam est, ad fidem tendit.
Catechumenus est, in majorem vult adjicere doctrinae et fidei amplitudinem.
Caveat, ne dum vult discere, male discat a Forino, discat ab Arrio, discat a
Sabellio: tradat se hujusmodi magistris, quorum eum quaedam teneat aucto-
ritas; et inductus quaedam magistrorum presumptione, teneris sensibus in-
gressa dijudicare non noverit. Prius igitur oculis mentis perspiciat, quid
sequatur. Videat, ubi vita sit. Tangat deniq; divinarum vitalia lectionum,
ut nullo pravo offendatur interprete.

Alterum dubium, quod sacra scriptura in fidei essentialibus sit cla-
ra, si tibi in nostris dogmatibus subortum est, cum in veterum Patrum scri-
ptis nondum esses versatus, non miror. Haerere miror, postquam illa ma-
nu assiduam coepisti versare. Est enim apud illos sonore decantata scriptu-
ra cla-



Homil. 3. in
1. Theff.

Lib. 2. de
doctr. christ.
cap. 9.

Homil. 3. de
Lazaro.

Haerel. 70.

rae claritas. Apud Chrysoftomum legis; Πάντα σαφῆ καὶ εὐθέα τὰ πα-
ρὰ ταῖς θείαις γραφαῖς· πάντα τὰ ἀναγκαῖα δῆλα. Id est, *Omnia sunt
dilucida & recta, quae sunt in divinis scripturis; manifesta sunt, quae unquam
sunt necessaria.* Apud Augustinum legis; *In iis, quae aperte in scripturis
posita sunt, inveniuntur illa omnia, quae continent fidem moresq; vivendi,
specem scilicet atq; charitatem.*

At tibi in essentialibus quoq; obscuram esse, sensisti. Valde miror Prin-
ceps Celsissime. Nosti enim, quid aureum illud os jam olim scripturae ob-
scuritatem obtendenti responderit; Ἀδύνατον πάντα ἐπίσης ἀγνοεῖν. Διὰ
γὰρ τῆς ἢ τῆς πνεύματ' ὠκονόμησε χάρις τελώνας, ἀλιεῖς καὶ σκηνοποι-
εῖς καὶ ποιμένες, καὶ αἰπόλους, καὶ ιδιώτας καὶ ἀγραμμάτους ταῦτα συνθεῖναι
τὰ βιβλία, ἵνα μηδεὶς τῶν ιδιωτῶν εἰς ταύτην ἔχη καταφεύγειν τὴν πρό-
φασιν, ἵνα πᾶσιν εὐσύνοπτα ἢ τὰ λεγόμενα, ἵνα καὶ ὁ χειροτέχνης, καὶ
οἰκέτης, καὶ ἡ χήρα γυνή, καὶ ὁ πάντων ἀνθρώπων ἀμαθὲς αὐτῶν, κερδά-
νη τε καὶ ὠφελῆθῃ παρὰ τῆς ἀκροάσεως. Id est, *Fieri non potest, ut o-
mnia ex aequo ignores: propter ea siquidem Spiritus gratia dispensavit, ac
providit, ut publicani, piscatores, pastores & caprarii, idiotae, illiterati hos li-
bros componerent, & ne quis idiotarum ad hanc difficultatis confugere pos-
set excusationem, ut omnibus facilia conspectu essent ea quae dicuntur, ut &
opifex, & famulus, & vidua mulier, & omnium hominum indoctissimus ex
audita lectione aliquid lucri utilitatisq; reportaret.* Dein comparatione
inter Philosophos Ethnicos & sacros doctores instituta, illos obscuritati
studuisse monet, at sacros claritati: Οἱ δὲ, inquit, ἀπόστολοι καὶ οἱ προ-
φήται τὸν ἀνθρῶπον ἅπαν ἐποίησαν. Σαφῆ γὰρ καὶ δῆλα τὰ παρ' ἑαυτῶν
κατέστησαν ἅπανσιν, ὥστε κοινοὶ τῆς οἰκουμένης ὄντες διδάσκαλοι, ἵνα ἕκαστος
καὶ δι' ἑαυτῆς μανθάνειν δύνηται ἐκ τῆς ἀναγνώσεως μόνησ. Id est. *Apo-
stoli verò ac Prophetae omnia contra fecerunt, manifesta claraq; quae prodi-
derunt, opposuerunt omnibus, veluti communes orbis doctores, ut per se quis-
que discere possit ea quae dicuntur à sola lectione.*

Apud Epiphanium legis, πάντα σαφῆ ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ τοῖς βυλο-
μένοισι εὐσεβεῖ λογισμῶν προσέρχεσθαι τῷ θείῳ λόγῳ, καὶ μὴ διαβολικὴν
ἐνέργειαν ἐν ἑαυτοῖς ἐγκρισθῆσαντες ἑαυτὸς καταφέρειν εἰς τὰ ἐσθλάθη
τῆς θανάτου. *Omnia clara sunt in divina scriptura, his qui piâ ratiocinati-
one divino sermoni attendere volunt, non verò conceptâ in seipsis diabolicâ
operatione, seipsos precipites dare in barathrum mortis.* Plurataceo; Ex di-
ctis patet, cui de scripturae claritate, qualem nos agnoscimus & tuemur,
dubium oritur, ei non tam de nostro, quàm veterum doctorum dogmate
oriri.

Tertium

Tertium nominatur, quod Ecclesia à 1400. circiter annis admisit
 plerasq; hæreses, quam in sacris literis scias appellari columnam & firma-
 mentum veritatis. Unde hoc conceperis dubium, ego nondum video.
 Tute noveris, Princeps illustrissime. Non est nostrum dogma. Non doce-
 mus, non ita sentimus de universali Ecclesia. Ephesinam, in qua Timo-
 theus versabatur, cum Paulus ad eum scriberet, admisisse hæreses, ipsi di-
 cunt Papistæ. Et tamen Pauli tempore columna erat & firmamentum ve-
 ritatis, idque tam actu seu exercitio, quam officio. At hæc duo in Eccle-
 siis particularibus sæpenumero separantur. Hierosolymitana, Alexandri-
 na, Antiochena triste præbent de se exemplum. Nulla contrario gaudet
 privilegio. Romana jactat; non demonstrat. Nec tamen eam tanto tem-
 pore plerasque admisisse hæreses, nostra statuit Ecclesia. Ut non vi-
 deam, quæ hinc tibi nasci potuerit vel minima ab ea discedendi occasio.

Cum in illa, quam memoras, ambiguitate constitutus per integrum
 annum inter tot alia negocia, itinera & undique ingruentia impedimen-
 ta summo ardore in id incumbere non cessaveris, ut seposito omnium
 partium studio, aptum aliquod & congruum indagandæ veritatis inveni-
 res medium, utinam, utinam invenisses satis aptum! Optimum, fateor, est
 devota Numinis imploratio ex humili corde, & sincero simplicis verita-
 tis amore profecta. Quod illi erat proximum, non audio adhibitum. Audio,
 è Papistarum partibus Perronium, Bellarminum, Torrensem, Becanum, Spe-
 culum veritatis Brandeburgicum, Cottonum, Veronum, Forerum, Canisi-
 um, Coccium, Animadversiones Moguntinorum in Crocium, Valeria-
 num, Keddiu, Walenburgicos, Vetweissium, aliorumq; scripta, & con-
 trariæ partis affectas, Lutherum, Calvinum, Blondellum, Morneum, Mo-
 linæum, Daillæum, Profelytum, Mestresatum, Drelincurtium, Crocium,
 Calixtum, Menzerum, Hundium, Haberkornium & Marcum Antonium de do-
 minis, adeoq; tot scripta legisse & consuluisse, quot intra unius anni curri-
 culum homo, non admodum multis occupatus negociis, vix attentè pensicu-
 lateque legat. Eo magis laborem indefessum admiror, quoties mecum re-
 puto, quantum temporis tot inter itinerum tam longorum, tamq; mul-
 torum molestias, sub tanta urgentium occupationum mole unius anni so-
 les in rem hanc tam momentolam tibi concesserint. Quanto verò sa-
 lubrius certiusque remedium malo gliscenti attulisset assidua unius sacræ
 scripturæ lectio! Omnes enim auctores laudati, quamvis nollent falle-
 re, falli tamen queunt. Scriptura sacra nec falli quit, nec fallere. Quanto me-
 lius, ô Princeps tam ingenio, quam sanguinis ortu Celsissime, quanto melius
 in tuam

Homil. 13, in
Genes.

In moral, reg.
72, c. 1.

in tuam consuluisse animam, si inter procellosos dubiorum insurgentiū
fluctus variè jactatus ab Constantinopolitani Præfulis ore aureo profe-
ctum cepisses consilium dicentis, Κατακολουθήσομεν τῷ σκοπῷ τῆς θείας
γραφῆς ἐαυτὴν ἐρμηνεύσης, i. e. ad ipsum divina scriptura scopum in-
cedamus, quæ seipsam interpretatur. Item; Καὶ τοιγετῆς ἀγίας γραφῆς
ἐπειδὴν βέλῃ τῷ τοῖστον ἡμᾶς διδάσκειν, ἐαυτὴν ἐρμηνεύσης, καὶ ἐκ ἀ-
φείσης πλανᾶσθαι τὴν ἀκροατὴν. i. e. Quamvis sacra scriptura, cum nos
tale quiddam docere vult, seipsam exponit, & auditorem errare non sinit.
Quanto tutius Basilii M. secutus esses consilium scribētis; ὅτι δεῖ ἀκροα-
τῶν τῆς πεπωαιδευμένους καὶ γραφῆς δοκιμάζειν τὰ παρὰ τῶν διδασκα-
λῶν λεγόμενα, καὶ τὰ σύμφωνα ταῖς γραφαῖς δέχεσθαι, τὰ δὲ ἀλλότρια
ἀποβάλλειν καὶ τῆς τοῖστον διδάγμασιν ἐπιμένοντι ἀποσρέφειν
σφοδρότερον. i. e. Oportet auditores, qui sacrarum literarum periti sunt,
adhibito diligenti iudicio, ea auscultare quæ à doctoribus dicuntur, & ex iis
ea quæ scriptura esse consentanea cognoverint, admittere; contra quæ a-
liena, repudiare. Qui autem pertinaciter ejusmodi decreta voluerint defen-
dere, majorem in modum defugere a versari que.

Cum utris, Papistisne, an Protestantibus ab eo tempore, quo religio
nostra tibi suspecta esse cœpit, frequentius & familiarius tum ore tenus,
tum per literas contuleris, nostrum non est excutere. Nemo tibi legem
ferre potuit. Mirer, quenquam voluisse. Est tui juris, nec nobis reddere
teneris conversationis tuæ rationem. In cælo est, cui magnæ non minùs
quàm viles animæ tenentur. Illi aliquando omnes suo quisque loco red-
demus.

Consilium de petendo colloquio suggestum valde speciosum est &
ab auctoribus valde prudenter excogitatum. Nam sollicitudo, cura, dili-
gentia, studium veritatis inquirendæ hinc clarescit, præcipitantiæ suspicio
tollitur. Prudentia in eo imprimis elucebat, quòd à parte Papistica tres u-
nius mentis, opinionis & ordinis monachi, quorum unus reliquos suâ du-
ceret auctoritate, cum totidem committi vellent diversarum sententiarū
hominibus, qui nullum unquam inter se de religione verbum commutâ-
runt, unus etiam alterum acerbè publico fertur infectatus scripto. Tem-
pus edendi consilii ad famam colligendam opportunius inveniri non po-
terat. Occasione Francofurtensium nundinarum per universam Germa-
niam emanare velociter, varios hominum affectus ciere, & videndi even-
tus desiderio omnium animos poterat implere. Locus rei gerendæ com-
modissimus delectus. Non poterat commodior, Omnibus librorum ne-
cessa-

9.
cessariam facturum copiam : omnibus ex æquo libertatem & securitatem præstiturus.

Qui inter sermones sive fortuitos, sive deliberatos, haud venturos theologos, ariolati sunt, si externas solum spectarunt circumstantias, habent, unde suas excusent conjecturas. Sin hæc tibi confirmarunt ratione, quod scirent, argumenta propositum iri à Papistis insolubilia, non minus falsi, quam Poëtæ Colonenses, qui hoc poëma, non obstante meâ declaratione, transeuntis auribus plenâ occinuerunt tibiâ. Disputatum est tot annis, doctissimis acutissimisque omnium ordinum Papistis causam strenuè agentibus. Non tamen in hanc usque diem auditum est ex illis argumentum, quod, Dei assistente gratiâ, solvi non potuerit. Et hoc metu perculli theologi Francofurtensem fugerent congressum? Falluntur boni isti conjectores; falluntur isti boni arioli nimio opere.

Evocatoriæ tuæ literæ unâ cum literarum Illustrissimo Landgravio Guilielmo, Domino nostro clementissimo, in scriptarum exemplo tradebantur Septembris die sexto. Legebam reverenter acceptas. Expendebam expressum colloquii finem, præscriptum modum, circumstantias occurrentes. Pii Numinis gratiam implorasse contentus, consilio cum nemine mortalium collato, respondi postridie. Dolebam ex animo occasionem consilii & petitionis; optabam, maturius malo & ratione commodiori obviam esse itum. Cùm tamen hæc via tuo instituto persequendo visa esset omnium commodissima, nolebam meam negare operam. Quin imò licet colloquium eo modo, quo petiitum, propter circumstantiarum interventum, ex multis iisque gravibus causis, altioris sit indaginis, ego etiam meam semper agnoverim infirmitatem, nec, dum hodie solus in theologia facultate super sum, cùm publicâ professione, tum duobus collegiis habendis, tum aliis necessariis occupatus laboribus, citra studiosæ pubis detrimentum, urbe tam diu abesse, & huic negotio commodè operam navare queam, si tamen ceteri compareant, Princeps meus clementissimus jubeat, ac Deus corpore animoque servet incolumem, tibi non de futurum, sed loco designato, eo tempore, de quo inter Principes conveniet, compariturum, promittebâ. Causæ mihi potissimum erant due. Una, ut tu meam promptam serviendi voluntatem sentiret. Altera, ut alii, me, omnibus circumstantiis neglectis, nullas declinare molestias, & in Dei causa lucem non fugere, ab ipso cognoscerent opere. Non comparui. Multus de eo passim sermo. Nulla hæc mea culpa. Nec à te certum est designatum tempus, quod futurum, per Registratorem vestrum significabas.

B

Nec



Nec Princeps noster iussit. Non poterat commodè, priusquam de aliorum Principum constaret voluntate. Illa erat exploranda, id quod sine mora significavit. Scripsit eam in rem ad Principes. Semel scribere minimè contentus iteravit literas tum ad Ill. duces Brunsvicensis, tum ad Ill. Landgravium Hasso Darmstadinum. Cum nec ullum à Ducibus, nec quale optatum, à Domino Georgio Landgravio responsum afferretur, Dominum Patrum, Illustriss. Landgravium Hermannum enixè rogabat, ut sociam operam ad negocium apud Principes promovendum, haud gravatim conferret. Contulit pius Princeps fide priscà, tantoque alacrius, quanto fraternæ salutis est cupidior. Aliorum igitur Principum literæ spera ferè colloqui everterint; Nostri, quomodo ferè evertere possint videri, ego nondum capio satis. Nec per illum fuit negocium hactenus irritum, nec futurum deinceps. Mora illi non minùs ingrata, quàm alii cuiquam. Nullam nexuit. Quis nescit, lentè plerumque procedere, quæ plurimum consensu gerenda sunt, imprimis inter magnates? Interim ægritudinem animi ac moræ tædium discutere poterat consilii expensa paulo altiùs novitas, & magnitudo. Certum, omni exemplo carere in Imperio.

Cæterum disputent plerique, non disputent, *imputentne has remoras conscientia de doctrina propria parùm firma.* Mentis benignæ de Principibus eorumve ministris non tam malè sentient. Malignæ quid sentiant, parùm pensi habent boni. Conscientia bona illos tuetur adversus iudicantium de rebus incognitis temeritatem. Si infelices disputatores animum obfirment, cujus conscientia de doctrina parùm firma imputabunt? Nostrine Principis, an meæ? At ille nullam rebus injecit moram. Quam ego? Intra viginti quatuor horas literas evocatorias accepi, expendi, respondi. Sententiæ inhæsi. Num Princeps me mitteret, aut ego meâ sponte excurrerem Francofurtum, cum nec certum esset tempus denunciatum, nec vel te illuc tendere audiremus, vel quisquam vocatorum alius ibi compareret?

At creditur, *nullam fortè rationem satis validam inventuros theologos tam æquas & nemini planè damnosas condiciones repudiandi.* De conditionum æquitate nunc non discepto. Non quæsi rationem repudiandi condiciones æquas. Duo proposuisti themata, unum probandum Capucinis, alterum nobis resolvendum. Non repudiavi. Non erat causa repudiandi. Scripto volebas agi. Non detrectavi. Imò laudavi ad nostrum Principem. Acta volebas propriâ collocutorum manu & sigillo roborari. Non contradixi. Typis descripta prodire volebas in orbis theatrum. Non impro-

improbo. Fuit, qui referret, nobis improbari. Aut non intellexit, aut interpretes fuit minus dexter. Non improbamus actorum publicationem. Approbamus, & te tacente, postulaturi. Aliud in quaestionem venit. Volebas, *acta singulorum dierum sine mora ante colloqui finem typis impressa in orbem spargi quotidie*. Hoc nos cum sine congressu abste expressio non possumus componere. Quid enim, Celsissime Princeps, ad meliorem tui informationem facit, quod acta quotidiana typhetarum manu teruntur ac per orbem sparguntur diebus singulis? Annon queat esse integra, nisi dierum singulorum acta sub praelo fudent, & inter omnes spargantur quotidie? Superiorum temporum experientia nos docet, qui quam studiosè captatâ occasione abruperint colloquia de religione habita. Idem magno cum alterius partis damno fieri posset hodie, si singulis diebus spargerentur acta dierum singulorum; Imprimis cum primam velis responsionem dari citra probationem.

Domini Capucini promptitudo nobis immeritò videtur objici. Accurrerit ille senio confectus, ex instituto suo nudipes, actualibus jejuniis maceratus: ultro accurrerit, à nullo praesulum praepeditus. Neque nobis per mentum prima serpit lanugo. Christi institutum nec nudipedes nos accurrere compellit, nec monasticis macerare jejuniis. Non sumus missionarii, qui ultro accurramus invocati. Intra vocationis limites nos lubenter continemus. Illum nemo praesulum potest impedire. Nulli est subiectus. Nos principibus nostris obnoxii. Neque tamen, credo, magis illi, quam cuiquam alii Capucino, citra Provincialis permissum, egredi licet provincia, neque Provinciali, citra Generalis indultum, è provincia dimittere. Nisi fortasse ultro accurrere dicitur, qui formalis consilii causâ accitus venit superiorum auctoritate. Omitto nunc, quod ab ipso Romano Pontifice mandatum habere, memorabat his diebus vir è primaria nobilitate, qui nuper ex aula tua venerat.

Existiment alii, nos *de tua in reformatâ doctrina constantia desperare*. Alii, quos hoc tangit, dicere possunt, si velint, quid sperandum desperandumve putent. Si citra offensam licet, dolenti fatebor animo, non magnam mihi bene sperandi superesse causam. Qui eo nomine congressum theologicum abnuere, existimant, aut fingunt, aut credunt fingentibus. Non eo abnuo nomine. Imò ego semper in ea fui sententia, quam nondumuto, non abnuendum esse, quamvis nostram religionem jam palam ejurasses. Te multos variis in locis jam pro Papistis addicto habere, audio: Qui pro verè catholico amplius habeant, non multos audio. Et sanè no-



stræ religioni constanter adhærere, jam diu est, quòd mihi, qui inter libro-
rum sedeo forulos, nullo certo evidentiq; apparuit indicio. Contrarium
haud obscurè videtur parere. *Pastor Evangelicus, nonaginta novem ovi-
bus dimissis perquirat unam illam quæ jam perierat.* Ita est. Christus est
pastor ille Evangelicus. Vix aberrare cœperas, cum iste quæreret. Nec
hodie quærere desiit. Adhuc quærat per pastorem tuum ordinarium, fide-
lem illum Dei servum, Dominum Adolphum Fabricium, concionato-
rem aulicum. Quanto labore, quantâ curâ, quanto zelo ab aviis te averte-
re, quantâ fide, animique solitudine in recta via continere, atque aber-
rantem conatus est reducere? Non ille solus ovem errantem perquisivit.
Perquisivere etiam alii. Ex urbe nostra non semel quæsit, quem, dum
nobiscum esses, amicum solebas nominare. Mihi quâ recti specie Pastor
evangelicus objiciatur, non satis intelligo, quippe qui scio, me pro tuo pa-
store nunquam esse agnitum.

*Dignitas Ecclesiastica, fateor, luculentioris fidei defen-
sionem iis poscit temporibus & circumstantiis, quibus contrario con-
cutitur exemplo.* Nec ea defutura, Deo nos bene juvante. In
congressu, qualem tu petisti, non omne positum est fidei luculenter de-
fendendæ momentum. Quinimò sunt, (dolenter refero,) qui existiment,
te in speciem tantum colloquium petisse, ut habeant homines, de quo
loquantur. Sunt, qui judicent, trium diversarum opinionum homines, an-
tagonistarum consilio, datâ operâ esse evocatos, an rixas inter illos pos-
sent cingere. Sunt, (iterum magno refero cum dolore) qui putent, apostasiæ
publicæ velum quæri. Hoc diversis in locis opinari audio etiam homi-
nes non malos, quique raras ingenii tui excelsi æstimant dotes. Ego mei
hîc memor officii nihil eorum affirmo, nihil tuæ imputo Celsitudini, de
cujus, tâquam Germani Principis, magnanimitate ac candore longè aliud
non immeritò mihi persuadeo.

Quòd verò tu existimas, *Principes, trepidatione suorum theologorum
cognitâ, prudenter judicasse, rem hanc exigere discussionem universali-
orem, hîc disputabunt multi de judicii hujus fundamento.* Nam de rebus in-
certis certam pronunciare sententiam, à tua prudentia alienum puta-
bunt. Nec sanè animæ magnæ sinistris facilè succumbunt suspicionibus.
Mirabundi igitur in varias disceptabunt partes, quæ tibi innotuerit, Princi-
pibus cognitam esse theologorum suorum trepidationem: imò quo illa
indicio in Rheni rupe sit cognita, è qua nec abditos animorū recessus, nec
ipso quisquam facilè possit homines inspicere tam amplo locorum inter-
vallo disjunctos. Num fortè certi venerint trepidationis indices testesque
ocula-

oculati? Duo theologi, ni multum fallor, se facile adversus præcipitem tuebuntur sententiam. Ego, ut jam supra dixi, intra viginti quatuor horas literas provocatorias accepi & meam significavi promptitudinem. In hac mente perstiti ab Illmo nostro Principe sententiam rogatus. Perstiti, quoties Illmus Princeps, Landgravius Hermannus hac de re mecum egit. Egit autem, pro singulari sua solitudine ac salutis fraternæ cura non semel. Quibus & quænam trepidationis in me apparuerunt signa? Qui mentem tuam generosam hæc de me imbuunt opinione, sinisterior fuit interpret, quisquis tandem ille fuerit. Fuit, fateor, qui Francofurto jam congressui designato, animum tentaret meum, annon placeret ad te privatæ collationis causâ in Rheni rupem excurrere. Non placebat, idque quod Principum declarationem expectandam esse, arbitrarer; plures mihi erant causæ, quas sciscitanti aperui, nec gravabor, te jubente, sive privatim depromere, sive publicæ luci exponere, ut ipse judices, justè tibi contra me à minùs propitiis persuasum sit hoc publicum trepidationis improperium. Nisi fortè, ut parva magnis comparem, magnus ille quondam Mediolani Præsul trepidasse sit putandus, quòd cum Ariano concurrere nollet in Imperatoris Palatio.

Jam si universaliori discussione causam hanc indigere, judicârunt Principes, prudenter profectò judicârunt, si quidem ipsis ex præscripto agendi modo suboluit, non tam tui informandi causâ, quam alio eoque majori fine colloquium hoc expeti. Si enim id agebatur, *ut & aliis*, quod nunc palàm scribis, *pro honore Dei & confessione veritatis studiosis satisfieri posset*; si agebatur id, quod tunc studiosè à consultoribus tectum nunc apertè profiteris, *ut partes dissidentes in eadem urbe congregata possent experiri, quid privata colloquia huic dissidio componendo conferrent*, quis dubitet, prudenti Principum judicio causam universaliori indigere discussione? Etsi enim ardentibus optandum sit votis, hoc dissidium æquis posse rationibus componi; Qui tamen nos, ô Princeps Celsissime, qui nos sumus, ut negocium, quod universæ Germaniæ salutem concernit, tam exili tractaremus numero? Gloriosæ recordationis Imperatores in id suam & auctoritatem & cogitationem curamque omnem superiori contulerunt seculo, an componi posset. Exquisiverunt hominum doctissimorû judicia: Ventilârunt in Imperii Comitibus non semel: non semel de sua & comitali Ordinum sententia publica eam in rem instituerunt colloquia. Conatu hoc laudabili immortalis consecuti gloriam: Conando tamen parùm profecerunt: Præter votum successus fuit irritus. Quâ animi soli-



29. d. Nov.

itudine Serenissimus Poloniae Rex, nuper vita functus, hanc rem egerit, charitativo instituto colloquio, est in recenti omnium memoria. Magni studii atque fervoris Torunium testis, testis Polonia. Quantum profecerit, in vulgus notum. Dominus Valerianus Magnus novit optimè. Imperatoribus & Regi suam navârunt operam viri undiquaque doctissimi, multoque rerum usu exercitatissimi. Omnes in magno conatu defecere. Ubique discessum est re infectâ. Et nostam pauculi evocati saxum hoc volvere tentaremus, Ecclesiis sociis non consultis? Certè, aut ego vehementer fallor, aut ne quidem Dominus Valerianus Magnus, quæ ejus, tanquam veterani militis, singularis est prudentia, citra Romani Pontificis mandatum indultumve id velit ausitve aggredi, à quo habere, vir equestris ordinis, ex aula tua factus redux, his diebus referebat, ut hæc actio esset veluti quædam præparatio ad tractatus in Imperii Comitibus aliquando suspiciendos.

*Theologis displicuisse, quòd inter se dissidentes sint delecti, rectè existimasti. Non immeritò displicuit. De aliis, quæ existimas displicuisse, non habeo, quod dicam. Non exprimuntur. An Lutherani exhorruerint proprias rixas exorituras, cum tibi opitulanti conarentur, possunt, si velint, ipsi dicere. Quòd in ducaru Brunsvicensi & Luneburgensi vox & fama fuerit communis, dissentientes haud dubiè ad ciendas inter ipsos rixas, datâ operâ evocari, non ita pridem vir Generosus, Wurtembergicus minister, inde per nos ad suos rediturus memorabat. Hanc multorum opinionem, pro insigni tua prudentia, videris velut è sublimi specula prævidisse, cum meum animum adversus eam præmunire decerneres. Cum enim me evocares, per Registratorem vestrum testabaris, causas tibi esse, cur juxta me D. Calixtum & D. Haberkornium delegeris collocutores, non tamen, quod alii essent opinaturi, ut utriusque partis Evangelicis præjudicium afferas, aut inter se committas, aut aliud quid simile moliaris. Nò testabaris nudè, sed confirmabastam fortiter tamque clementer, ut ego nihil inde exhorrescerem. Absque ea fuisset assertione; non tamen exhorruissem. Non errantrixæ circa primum thema metuendæ, quod suæ parti demonstrandum assignari voluit Capucinatorum delectorum Antesignanus. Nulla in eo fiebat Conciliorum mentio, quæ nunc inferitur. Hoc erat; *Quòd Dominus noster Jesus Christus Apostolo Petro jurisdictionem super universam Ecclesiam dederit, in qua Romanus episcopus ei succedat, eoq; titulo tam infallibilem habeat Spiritus Sancti assistentiam, ut si quid ex cathedra definiat, quod fidem christianam attineat, errare non possit.* In hoc impugnando concordem esse theologos evocatos, statuebam. Nec metuedum,*

dum, ne hinc ad ulla diverticula inter nos pugnandi secederemus; Uno tramite ad scopum decursuros, nullus dubitabam. Experiretur hinc Dominus Valerianus, Capucinorum Coryphæus, quantum in congressu valeat Catholicorum, quos vocat, credendi regula. Altera quæstio quo consilio resolvenda nobis proponeretur, qui Capucini legunt librum de A Catholicorum, quos vocat, credendi regula, vix possunt ignorare. Sed esto. Excurreret ille, quæ est eruditione, in amplissimum suarum consequentiarum campum. Ex præconceptis collocutorum dissensionibus certam speraret victoriam. Non defuturum existimabam, bono cum Deo, remedium, si communis veritatis studium præferre luberet dividiis ad hanc rem minus pertinentibus.

Certè quicquid tandem futurum præviderent prudentes, id me à congressu non absterruit. non tantopere veritus sum contrarias inter nos sententias, ut propter id me voluerim subducere, sive separata, sive conjuncta à Domino Valeriano Magno responsa habituri. Quod dum scribo, non me superbe jacto. Infirmittatis meæ, quæ in ipso primi responsi limine sum ingenuè professus, nondum dememini, semper eandem agniturus, atque omni professurus occasione. Ut tamen non obstitit, quominus me Francofurti compariturum, solius Dei gratia & causæ bonitate fretus sincere promitterem, ita nec deinceps obstitit, quin fidem verbis adjungam, Deo me juvante, ac jubente Principe. Per Lutheranos congressus Francofurtensis spes decollet, qualis petitus. Nullam sive Principis nostri illustrissimi, sive meam decollat culpam. Si vel ab eo, vel aliis Reformatis Principibus, aut Rebus publicis petitum fuisset, ut quos vellent possentve reformatos mitterent ministros, ab eventu patuisset, nunc sive Magnates, sive ministri deessent debito pietatis officio. Non petitum. Hinc omnium rectè sentientium à quo judicio permittitur non immeritò, quid quisque in hoc negotio facere potuerit debueritque, ut ab omni sive temeræ festinationis & imprudentiæ, sive morosæ tergiversationis nota immunis esse queat.

Non devinxis te publicam professionem cuiquam in religionis negotio: non usurpaveris Ecclesiæ Romanæ sacramenta. Nos hinc non affirmamus. Interim sesquiannus est & quod excurret, quod sacramenti usu in nostra Ecclesia abstinuisti. rationem hanc præcipuam dabis mense Majo, quod statueres, *extra Ecclesiam nec licite dari accipive, sacramentum, nec esse legitimos ministros.* Pro doctrina Papistica disputasti strenuè. Consilium de deserendis Evangelicorum cœtibus, quos omnes sectis extra Ecclesiam constitutis accenses, & repetendis ordinariis Ecclesiæ pastoribus, commendasti tui amantissimis jam pridem. Sed & inter eos, quibus res ve-

stræ

r. lectionem

stræ propiùs cognitæ atque perspectæ, novimus, qui non hodie affirmare cœperunt, se metuere, ne actum sit. Eum, qui contra Papistas nostram defendit sententiam, per Deum altissimum & omniscium & omnipotentem non semel adjurasse diceris, ne amplius apertissimæ obstrepat veritati. Papisticos libros studiosè commendas; ad unius, quem elegantissimum & dilucidissimum appellare amas, peculiarem dictas preclarum formam, qua nemo uti potest devotè, quin præsentis controversiæ, in colloquio cum Deo, velut arbitrum se inferat. In his iteratis literis pronuncias, quòd *Valerianus, excepto D. Calixto, quos vis alios hujus ætatis Ecclesiæ censors & reformatores irrefragabiliter suis oneret absurdis.* Unde & exprimis disertè, *quid potissimum te inter Calixtinos, quos vocas, & Pontificios detinuerit cunctabundū.* A deò nihil invenis, quò inter Põtificios & Reformatos cunctantè detineat, qui tamen præcipuorū conciliorū generalium symbola & anathematismos non rejiciunt. Multi mirabuntur, cum hoc plus reliquis argumentis detinuerit cunctabundū, cur non solū D. Calixtū evocaveris. Præsertim cum ille vel solus adversæ partis vires cū laude sustineret causæ bonitate suffultus. Ita judico nullius ex altera parte eruditioni quicquam detrahens. Præterea cum *tam fidei inter Papistas unitas & antiquitas placeat, quam displicet doctrinarum inter Protestantes pluralitas,* in eo hærent aliqui, cur dissentientes Francofurtum evocare placuerit Protestantes, nisi fortè, ut hâc occasione de concordia inter ipsos sancienda ratione explorarentur animi. De reliquo cogito, quid opus fuerit, *scrupulos metuere, qui vobis supervenire potuissent partium disidentium subtilitate?* Hactenus ego habui persuasum, scrupulos, qui jam animū discruciant, causam esse unicam petendi colloqui. Jam audio, superventuros metuere scrupulos, & explorare velle disidentium subtilitatem.

Omnes dolemus, te in hunc difficilem venisse statum. Ad *aliorum arbitrium in eo detineri,* ego nondum intellexeram. Ut propriâ in eum venisti voluntate, sic credebam, non sine causa in eo tam diu versari, licet non promiscuè omnibus satis cognitâ. *Si nullum volebas exstare argumentum neglecti studii in pervestiganda veritate, & humanitatis erga illum cœtum, in quo es nutritus,* non levis animum subit admiratio, cum Dominum Valerianum Capucinum formaliter, ut loqueris, consulendū acciveris Viennâ, cum tot diebus, tot septimanis seorsum remotis audiveris arbitris, cur è nostris, inter quos educatus es, neminem acciveris formaliter consulendum, cur nulli vel unum diem tribueris consulendo formaliter? Cur cum nullo inferioris Hassiæ, quæ te nutrit, ministro sive coram,

coram, sive per literas, si non formaliter, saltem obiter rationes contuleris. Ab illustrissimo Domino fratre, Landgravio Hermanno, in aulam aliquoties accersebatur vir eruditus, Decanus Rotenburgensis, superiori vere. Occasio erat colloquendi. Sed ferè declinata. Audio, me tunc esse nominatum, à non nemine, quem inter alios audires. Audio, spè ostensam. Eventus non respondit. Obtentam audio causam, quam non alius tuæ persuasit celsitudini, quàm Poëta minùs propitius. Vir non minùs tuæ quàm publicæ salutis cupidissimus, quem & in illustrissimæ matris aula, & in Ecclesia Neapolitana, & in æde apud nos summa, cum piorum omnium plausu, dicentem crebrò magna; audiebas cum lubentia, quem Dei zelò ardentem æstimabas suo merito, quem amicum appellitabas, quàm vehementi studio in te per literas monendo, inque rectam reducendo viam fuit occupatus! At postquàm stimulos excitandæ conscientiæ coepit admoveere, nullum ei à te apicem contigit videre. Princeps veritatis simplicis amore non minùs quàm pietate inclytus, isq; tibi naturâ & affectu conjunctissimus, erat auctor, si Hassi non sufficere viderentur, exteròs nostræ partis, quos per Galliam & Belgium ex peregrinatione nosse complures, in consilium adhiberes. Prudens consilium. Utinam essent adhibiti! Non audio factum. Siccine scrupuli in Ecclesiæ reformatæ dogmatibus orti priùs Capucinis privato & formali consilio eximendi, quàm uni è minimis Reformatis in solenni proponerentur disputatione?

Jam dudum nobis auditum est, *quamvis totius Europæ, imò orbis homines convenirent, omnem in unum conferrent sapientiam, linguisque Angelorum loquerentur, parùm tamen profecturos.* De tua manu acceptum est, *in utriusq; partis scriptis sic te versatum esse, sic rem totam animo complexum, ut nemo quicquam afferre possit, quod ante ignoraveris.* Hinc proia conjectura, quis laboris, studii, molestiarum sustinendarum nobis sperandus sit fructus, imprimis, cum ex omnibus Reformatis unus tantum & quidem is sit evocatus, qui inter illorum minimos suum semper nomē est professus? Ne tamen infaustum de lucifugis carmen, quod in Rheni rupe vicibus nullâ nostrâ culpâ iteratis insonuisse fertur, hominum auribus implendis, non sine insigni Ecclesiæ nostræ contumelia, Tiberinæ Phylididis proxenetæ porrò cantillent, adhuc semel ostendo, si ab Illustrissimo nostro Principe mitti petas Reformatos, quos velit, me omnium minimum inter illos, ipso jubente, & Deo me servante, loco semel nobis designato compariturum, ut cum Dominis Capucinis de duobus thematibus ab initio propositis mutux conferantur sententiæ.

C

Ad

Ad Rheni rupem accedere Princeps non jussit haecenus. Ego verò quominus meâ sponte accedam, justas habere causas mihi videor, quas, ut suprâ dixi, si velis, privatim publice vè explicare non erubescam. Si quis sive hinc, sive isthinc, ut nusquam theonini desunt dentes, hoc apud te vel ut trepidationis signum traducat, non expallescam. Animum firmabo patientiâ. Interim, Princeps illustrissime, tu re & atque ex personæ tuæ dignitate facturus es, si contumeliosum conscientiae de propria doctrina parùm firma improperium inter tuos silere jubeas, & effrenibus linguis in infame de lucifugis carmen lascivè despumantibus, sub vestro saltem horizonte, auctoritate, quâ polles, justam imponas fibulam.

Quòd duo Lutherici ditionis tuæ Superintendentes, Francofurto colloquio habendo semel designato, ante ejus exitum pugnam detrectant, nec illis vertendum putem vitio, nec Protestantibus vocatis imputandum. Nobis, qui hîc vivimus, omnium minimè. Nostros enim, qui vobiscum vivunt, pugnam non detrectasse, auditione accepimus. Nominatim Dn. Adolphum Fabricium, aulae concionatorem, cum Capucino non semel congressum, causam Ecclesiae egisse strenuè, constans est fama. Nec noster Johannes Wernerus, Ecclesiae Goarinæ Pastor, pugnam subterfugit. Quinimò audimus, ex improvviso laceffitum fortiter stetit pro veritate, nec deinceps magni Capucini vires extimescere, sed experiri paratū esse. Disputationem solennem eâ formâ, quam colloquutioni Francofurtensi præscripsisti, nondum subiisse, nemo in pejorem rapiet partem, qui vel leviter inspexerit circumstantias.

Si Francofurtensis congressionis spe excidamus, ego non quidem abnuâ literariū conferendi modum à Cl. D. Calixto propositum, sed, permissu Illmi nostri Principis, illi, pro virium tenuitate, per Dei vacabo gratiam, quantum per alios licebit labores. Quæ sum scripturus, ea vel Registratori vestro, Joachimo Schöne, vel domus custodi tradam ad te mittenda, & ab alterutro expectabo, si quid mihi literarum destinabitur deinceps. Materia collationi jam pridem nobis est præscripta. Ab ea non est idonea discedendi causa. Illa eo excutiatur ordine quo est proposita. Dominorum Capucinorum hîc primæ sunt partes. Illi nobis probent, quod probandum assignasti. Probent ordine justo argumentis è scriptura, ex universalis Ecclesiae decretis & unanimi primæ antiquitatis consensu petitis. Illud si justo argumentorum robore obtineant, de reliquis facili transigetur negotio. Ab ordine semel constituto approbatoque non dimoveor.

Ita

Ita est: *Vir prudens de vera capeffenda religione deliberaturus, scire debet illum Christianorum cœtum è multis, cui cen. Ecclesia Christi velit se adjungere, quam ve fidei doctrinam in ea profiteri teneatur. Sed & scire debet, quam sit deserturus, ut aliam capeffat, nisi ad id usq; tempus fuerit atheus. Paganus, Judæus, Turca de alia religione profitenda si deliberet, scire debet, quis sit Paganismus, Judaismus, Muhammedismus, de quo deserendo cogitat. Nequit enim ad alium transire cœtum, nisi priori deserto: non aliam potest amplecti religionem, nisi abjectâ veteri. Similiter qui inter Christianos de religione, quam hæctenus tenuit, ejuranda aliaq; palàm profitenda inquit consilium, nosse omnino debet, quam antea sit professus. Non aliter potest sive Deo, sive mundo ullam mutatæ sententiæ rationem reddere. Ab illis igitur, inter quos non es educatus, indicationem Ecclesiæ propriæ postulare ita lucidam, ut si velis alicui earum dare nomen, ea tibi ultro pateat. Nullâ, clementissime Princeps, nullâ recti speciei à Reformatis postules. In illa Ecclesia es à primis educatus incunabulis, in illa es confirmatus, fidei confessione editâ: in illa & pueritiam transigebas & adolescentiam. In illa, ad virilem ætatem paulatim provectus, licet nonnunquam, imprimis à Paterbornensis captivitate tempore, nostram religionem, quoties aptare se videretur occasio, pulsares, gerebas tamen te, dum nobiscum esses, ejusdem Ecclesiæ membrum palàm, idque ferè publicè non absq; specioso singularis devotionis exemplo. Quomodo igitur ea tibi non ultro pateret, nobis tacentibus? Nulla, nulla justa est, quam ego assequar, lucidæ indicationis à nobis postulandæ ratio.*

Secundâ quæstione postulas, *tibi sufficenter exponi illam doctrinam de fide, quæ in cujusq; partium Ecclesia sic proponitur credenda, ut illi, qui eam contumaciter pernegant, anathemate separentur. Tertiâ signanter efflagitas decisionem quæstionum, quæ inter Christianos ab ætate Lutheri periculose controversantur, factam redactamq; in libros symbolicos, aut quomodolibet aliter nuncupatos. Cui bono me accingerem huic operi, Princeps illustrissime? Suprà scribis, scripturam in essentialibus tibi non videri claram. Scis igitur, quæ sint essentialia, quorum contumax negatio mereatur anathema. Non igitur est, cur ego hic indicè dogmatum sub anathemate credendorum texam. Ipse agnoscis examen ejusmodi decisionis à te districtè efflagitatæ opus esse laboriosissimum. Vix igitur suscipies. Cui igitur bono, citra fructum, producerem tibi jam satis cognitam? Scribis enim, nullum ullius partis hominem quicquam movere posse, quod non antè noveris. Et sunt confessiones reformatarum Ecclesiarum in omnium manibus:*



nibus: Inde, si velis, potest peti. Si posthabitâ laboris magnitudine, examini velles decisionem subicere, quam sequeris normam? Papisticamne, an nostram? Hanc noles; judicas enim absurdis premi irrefragabiliter: everteres etiam hoc tuo exemplo totum Domini Valeriani Magni de A Catholicorum, quos vocat, regula credendi iudicium. Si illam, labor futurus supervacaneus; Nostra enim doctrina jam pridem à Concilio Tridentino damnata est, sententiam approbante Romano Pontifice.

Quartò quæris, *utrum post statem Apostolorum exstiterit, aut existat homo, aut cœtus hominum, qui habeat infallibilem auctoritatem proponendi doctrinam fidei, definiendi exortas circa illam controversias, & segregandi à fidelium cœtu eos, qui sunt aperte contumaces in illam.* Hæc quæstio thema tangit, quod Protestantibus Francofurti resolvendum proponere vobis placuit. Ad illam respondere non detrectabo: Sed ordine suo. Prius excutiathe thema Domini Capucini ab initio propositum. Id ubi excussum fuerit, ad hanc quæstionem ibitur nostraq; audietur responsio. Hoc cum scribo, nemo Papistarum dicat, me lucem fugere. Non fugio. Ordinem urgeo semel præscriptum. Quod per pauciora quit fieri, cur fiat per plura?

Compendium rei conficiendæ magno studio quæsitum esse, omnes prudentes facilè intelligunt. Inventum cur negligeretur? Neglectus cum Inventoris injuria foret conjunctus. Ubi Domini Capucini thema sibi ab initio propositum legitimâ probandi formâ asseruerint, omnis deinceps disputatio poterit filere. Sed & in hac nova materia & methodo rursus tota causa ad compendium potest conferri.

Domini Capucini ad primam quæstionem dicunt, *homines communicantes in fide cum Romano Pontifice constituere illum cœtum, qui solus sit vera Christi Ecclesia.* Hanc Ecclesiæ veræ indicationem omni tempore usque ad consummationem sæculi veram ac infallibilem esse, si probent legitimè solideq; non est, cur de reliquis quæstionibus agatur operosè. Verum ea indicatio non est à Christo usquam facta, non ab Apostolis sive conjunctis, sive separatis commendata, non ab universali Ecclesia per conciliarem sententiam unquam proposita, non ab universa Ecclesia agnita ac unanimi consensu recepta.

Quod ad quæstionem secundam dicunt, *de fide implicita, quâ (si non subsit causa, quæ requirat fidem explicitam) omnia illa, quæ circa doctrinam fidei fuerunt decreta in cœciliis generalibus approbata à Romano Pontifice, unusquisque sub anathemate credere teneatur, ut verum sit de Ecclesia Pontificia ejusque jure, de Ecclesia universali & jure tum divino, tum Eccle-*

ecclesiastico universali verum esse, pernego. Non est à Christo institutum, non ab Apostolis promulgatum, non ab universali Ecclesia sancitum, non ab universa Ecclesia unanimi consensu approbatum, receptumve.

Ad quaestionem tertiam laudant *decisionem à Synodo Tridentina factam confirmatam à Pio IV. Romano Pontifice.* Qualis ea sit decisio, à nostris suo loco demonstratum est. Qualis prodire potuerit, magni ostendunt Papistæ. Oratores Galli, è Synodo scribunt in Galliam; *Decretissimum esse synodo, nihil audire, quod compendio, vel auctoritati curiæ Romanae possit officere: Pontifice jam tum in propositis, tum in decisionibus dominatum obtinente.* In illis, quod à principio cautum sit, & exinde sedulo servatum, nihil ut in synodo afferatur in medium, nisi Legatis proponentibus. In his quot tot numero sint praesules pensionarii, aliiq; clientes, capita illi devotissima. Nihil spei reliquum, hoc rerum statu posse quidquam obtineri, nisi ex beatissimi Patris beneplacito. Nullas Principum, aut Oratorum omnium, qui Tridenti sunt, preces exorare potuisse, ut de solida disciplina Ecclesiastica reformatione saltem ageretur, exhibitis licet, Pontificiis legatis, articulis, non ad usum modo primitivæ Ecclesiæ, sed & ipsa quoq; Pontificum decreta accommodatis. Hujus loco dogmata fidei controversa in praesens tractari, ut cunq; ostensum sit, tractationem eam per absentiam Protestantium esse super vacaneam.

Andreas Dudithius, Episcopus Quinqueecclesiensis, Cæsareus & totius cleri Hungarici in synodo Orator, in epistola ad Maximilianum II. Cæsarem, ubi suam de calice laicis concedendo & sacerdotum conjugio refert sententiam, synodum velut in speculo contuendam exhibet. *Quid, inquit, profici potuit in eo concilio, in quo numerarentur, non suis momentis ponderarentur sententia? Si causa, si ratione pugnandum fuisset, si pauci quidam socii nobis adfuissent, viceramus, quamvis pauci, magnas copias adversariorum: sed cum numerus tantum prodiret in aciem, quo longè inferiores futuri fuissetis, in optima causa victores discedere non potuimus. Singulis nostrum centenos de suis Papa potuit opponere: ac si centeni parum multi viderentur, repente mille creare potuit, quos suis laborantibus subsidio mitteret. Itaq; videre erat, quotidie famelicos & egentes Episcopos, ex majori parte barbatulos adolescentes luxuq; perditos, Tridentum volitare, conductos ad sententiam secundum Papæ voluntatem dicendam, indoctos quidem illos & stolidos, sed tamen impudentia & audacia utiles. Hi cum ad veteres adulatores Papæ accesserant, tum verò victrix exultabat iniquitas, neq; decerni jam quidquam potuit, nisi in eorum sententiam, qui*
Papæ

Pape potentiam, luxumque defendere, summam religionem arbitrabantur. Erat aliquis vir gravis & eruditus, qui tantam indignitatem ferre non poterat, hic ut non bonus catholicus terrore, minis ac insectatione à Concilio ad probandum, qua nollet, traducebatur. In summa, in eum statum res est adducta, istorum, qui illuc facti institutiq; venerant, improbitate, non ut jam Episcoporum, sed larvarum, non hominum, sed simulacrorum, qua nervis moventur alienis, ut Dædali statua fuisse perhibentur, Concilium illud videretur. Erant episcopi illi conducti plerique, ut utres, rusticorum musicum instrumentum, quos, ut vocem mittant, inflare necesse est. Nil habuit cum illo conventu Spiritus S. commercii, omnia erant humana consilia, qua in immodica, & sanè quàm pudenda Pontificum tuenda dominatione consumebantur. Illinc responsa, tanquam Delphis, aut Dodona expectabantur; illinc nimirum Spiritus ille S. quem suis Conciliis præesse jactant, tabellarii manticis inclusus mittebatur: qui, quod admodum ridiculum est, cum aliquando, ut fit, aqua pluvius excresebant, non antè ad volare poterat, quàm inundationes desedissent. Ita fiebat, ut Spiritus non super aquas, ut est in Genesi, sed secus aquas ferretur. O portentosa & singulari dementiâ! Ratum nihil esse poterat, quod Episcopi, tanquam plebs, sciscerent, nisi Papa auctor fieret.

Ad quæstionem quartam Domini Capucini respondent, post auctoritatem D. Petri Pontifices Romanos ejus successores habere auctoritatem infallibilem in proponenda, & declaranda universa Ecclesia, ex cathedra, doctrina fidei christiana, & jurisdictionem segregandi à cætu fidelium eos omnes, qui contumaciter eam pernegant. Hæc responsio id thema tangit, cujus probatio ipsis injuncta fuit ab initio. Illi probando se accingant.

Hæc, illustrissime Princeps, ad tuas literas Moguntia, cujus prælum Protestantibus hætenus, quod ego sciam, non patuit, Papistarum operâ editas respondere visum est. Quod Dominorū Capucinorum declaratione paucis tetigi, nec formam, methodumq; præscriptam tenui, clementer ut ignoscas, oro humiliter. Non hoc nunc agitur, ut Ecclesiæ nostræ sententiam cognoscas: Jam pridem tibi cognita. Non hoc abs te agi constat, an ad nos sit revertendum. Scribis, te inter Calixtinos & Pontificios detineri cunctabundum, cum quos vis alios Ecclesiæ censors & Reformatores Valerianus irrefragabiliter oneret absurdis & penè irrideat. Præterea si leges disputandi ferendæ, communi partium consensu ferendæ. Omnes enim eodem utuntur jure. Pontificia pars, nî multum fallor, nullas hinc acciperet, nec auctoritati Protestantium laicorum se submitteret: Non igitur postulabit, ut suæ alii se subjiciant.

Scripti

Scripsi dicendi libertate usus, quam in primo petebam limine. Cujus impetrandæ spe bona, vel potius impetratæ fiduciâ plenus me accinxi scriptioni. Nullam scripsi lineam, nullum apicem offendendi animo. Cordium Scrutator testis, qui intima animi penetralia inspicit. Omnem civilem honorem, omnem reverentiam, obsequium omne Celsitudini tuæ præstare nunquam dememinero. Religionis negocium extra hominum est commercium. Est Dei causa, in qua boni Principes dicendi libertatem ultro concedunt non rogati. Omnes debent, quippe omnes pariter obnoxii Deo. Si vel homo, vel Deus in hac causa sit offendendus, homo potius offendatur, quàm Deus, qui eâ sine metu vult agi. Mihi *παρρησίαν*, quator, tanto lubentiùs indulgebit, tanto benigniùs tua condonabit Celsitudo, quanto de illa tristiora per nostram Germaniam, per Belgium, per Helvetiam, per Galliam, Angliam, aliaque regna magno cum infirmorû scandalo, nec sine piorum omnium de cœlesti, quam tuemur, veritate rectè sentientium summo spargantur dolore. Deus, qui solus malis omnibus, etiam inter homines deploratis, afferre potest remedium, mētem tuam generosam gratioso Spiritus sui lumine perfundat cœlitus, cordique veritatis apostolico catholicæ, quam satis cognitam nobiscum antehac profitebaris, amorem inspiret sincerum, ut uno spiritu, unâ fide Deum hîc colamus, & in cœlo eadē æternum fruamur beatitudine per Jesum Christum, unicum nostrum Servatorem & Ecclesiæ caput.

Cassellis xxx. die Novembris Anno Christi *MDCCLII*.

Illustriss. Celsitud. tuæ

devotissimus servus

Johannes Crocius.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



154887

ULB Halle 3
002 639 602




5b.

AB 154887

154887







4

CHRISTIANA & SINCERA RESPONSIO,
Ad
Illustrissimi Celsissimiq; Principis ac Domini,
DOMINI ERNESTI,
Hassia Landgravii, Principis Hersfeldia, Co-
mitis Cattimeliboci, Decii, Ziegenhainæ, Niddæ
& Schaumburgi &c,
Literas,
Ad theologos Francofurtum ad colloquium de
religione evocatos,
Iteratas,
Consignata & in lucem edita,
A
JOHANNE CROCIO.
Trium hic Dominorum Capucinatorum, ad quatuor de religione quaestiones,
à Celsissimo Principe, Ernesto Landgraviopropositas, responsa, quæ
sub eorum nomine & actionis primæ titulo in lucem prodierunt, tangun-
tur breviter, ac quantum res postulare videbatur.

Excudebat SALOMON Schadschwin 1651.

